

The Roman Curia

Apostolic letter on the Beatification of Alvaro del Portillo.

Litterae Apostolicae

Venerabili Dei Servo Alvaro del Portillo y Diez de Sollano, Episcopo tit. Vitensi, Praelato Praelaturae Sanctae Crucis et Operis Dei, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam.

“Regnare Christum volumus!”. Brevis haec sententia, quam Venerabilis Dei Servus Alvarus del Portillo ex ore Sancti Iosephmariae acceperat quamque lemma voluit episcopalis sui stemmatis fieri, desiderium eius ardentissimum patefacit: percupiebat enim ipse ut Dominus noster in summitate collocaretur cunctarum humanarum navitatum per sanctificationem laboris operisque cuiusque diei.

Ecclesia germen et initium constituit Regni Christi in terris (cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia Lumen Gentium, n. 5), cuius plenitudo effecta erit solummodo cum dies Domini advenerit. Propterea, verba repetens “regnare Christum volumus!” Venerabilis Dei Servus Alvarus del Portillo suam declarabat voluntatem enixe contendendi ad Ecclesiam aedificandam super firmam petram Romani Pontificis, Petri Successoris, qui est “supremus omnium christifidelium pastor et doctor” (ibid., n. 25), quaerens in vita sua ad effectum deducere verba quae ab Operis Dei Conditore didicerat: “Omnes cum Petro ad Iesum per Mariam!”

Alvarus del Portillo, tertius ex octo filiis, natus est Matriti in Hispania ab honestis vereque christianis coniugibus Raimundo et Clementina die XI mensis Martii anno MCMXIV. Titulum obtinuit academicum Adiutoris Operum

Publicorum necnon gradum doctoris in Re Machinaria Civili, in Philosophia (sectione historica) et in Iure Canonico. Die VII mensis Iulii anno MCMXXXV Operi Dei sese adscripsit, cupiens plane vivere christianam vocationem per sanctificationem sui laboris professionalis suorumque quotidianorum officiorum, simul quaerens collegas et alios multos ad Deum attrahere.

Confestim Sanctus Iosephmaria hunc habuit Dei Servum utpote studiosissimum collaboratorem suum in rebus Operis Dei curandis eiusque propagatione quadraginta fere per annos. Die XXV mensis Iunii anno MCMXLIV sacerdotalem recepit ordinationem. Anno vero MCMXLVI Romae consedit. Elucet quoque Venerabilis Servi Dei servitium erga Ecclesiam in alacri eius navitate in munera obeunda sibi ab Apostolica Sede commissa, officium nempe Consultoris Romanae Curiae Dicasteriorum, praesertim vero ob suam actuosam participationem in Concilii Vaticani II laboribus. Die XV mensis Septembris anno MCMLXXV nominatus est primus Sancti Iosephmariae successor. Die autem XXVIII mensis Novembris anno MCMLXXXII sanctus Ioannes Paulus II erexit Opus Dei in Praelaturam personalem, christifideles laicos et sacerdotes saeculares complectentem, atque Venerabilem Servum Dei Alvarum del Portillo, primum huius ecclesiasticae circumscriptionis Praelatum nominavit. Die VII mensis Decembris anno MCMXC constitutus Episcopus titulo Vitensis, die VI mensis Ianuari anno MCMXCI episcopalem ordinationem accepit in Basilica Vaticana Sancti Petri per eiusdem Sancti Pontificis manuum impositionem.

Hic Servus Dei bonus ac fidelis pie obiit diluculo die XXIII mensis Martii anno MCMXCIV, paucis horis post reditum suum a peregrinatione in Terram Sanctam, ubi visitaverat loca in quibus Dominus Iesus his in terris moratus est. Illo ipso die Sanctus Ioannes Paulus II ante eius corpus oravit, in ecclesia praelatitia Sanctae Mariae de Pace positum.

Sanctitatis fama Venerabilis Dei Servi Alvari del Portillo, iam late diffusa eo adhuc vivente, post mortem omnes per orbis terras dilata est. Anno MMIV, Venerabiles Fratres Nostri Camillus S.R.E. Cardinalis Ruini, Urbis Vicarius, atque Xaverius Echevarría, Episcopus titularis Cilibiensis, Operis Dei Praelatus, duos inchoaverunt processus, utrumque principalem, apud Tribunalia Vicariatus Urbis et Praelaturae Operis Dei super vita, virtutibus et fama sanctitatis Servi Dei. Approbata utriusque processus iuridica validitate per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu factus est die X

mensis Februarii anno MMXII de Venerabilis Servi Dei exercitio heroico virtutum de eiusque fama sanctitatis, de quibus sententiam protulerunt faventem etiam Purpurati Patres et Episcopi, in Sessione Ordinaria die V mensis Iunii anno MMXII congregati. Praedecessor Noster Benedictus XVI Decretum de his rebus promulgari iussit die XXVIII mensis Iunii anno MMXII.

Annis vero MMVIII et MMIX instructus est processus apud Curiam archidioecesanam Sancti Iacobi in Chile circa miram, ut dicitur, pueri sanationem, intercessioni Servi Dei tributam annoque MMIII factam. Rite peractis omnibus iure statutis, Coetus medicorum Dicasterii, in congressione die XVIII mensis Octobris anno MMXII habita, hanc sanationem inexplicabilem declaravit secundum hodiernam scientiam medicam. Die XV mensis Decembris anno MMXII Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum hanc declaravit sanationem divinitus patratam adque Servi Dei intercessionem attribuendam; quod responsum affirmativum et Patres Cardinales et Episcopi protulerunt in Sessione Ordinaria die IV mensis Iunii anno MMXIII habita. Quamobrem Nos die V mensis Iulii anno MMXIII mandavimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo evulgaret atque statuimus ut beatificationis ritus die XXVII mensis Septembris anno MMXIV Matriti celebraretur.

Hodie igitur, in praedicta urbe, de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Dei Servum Alvarum del Portillo y Diez de Sollano in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Augustini S.R.E. Cardinalis Vallini, Nostri Vicarii Generalis pro Romana dioecesi, Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titulo Cilibiensis, Praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei Praelati, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Alvarus del Portillo y Diez de Sollano, episcopus, Praelaturae Sanctae Crucis et Operis Dei Praelatus, Pastor secundum cor Iesu, Ecclesiae assiduus minister, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die duodecima Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus. Magni aestimantes Beati amorem et humilem assiduumque ministerium maxime erga suos in Opere Dei sodales, iisdem et cunctis fidelibus exemplum eius commendamus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Septembris, anno Domini MMXIV, Pontificatus Nostri secundo.

Petrus Card. Parolin
Secretarius Status

Loco + Plumbi
Prot. Secret. Status,
n. 19.900

